



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Peccatum est palmaris injuria,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO I.
PRO DIE SOLIS.
PUNCTUM I.

Peccatum est injuria DEO illata.

*Per pravaricationem legis Deum in
honoras, ad Rom. 2. 23.*

CONSIDERA quotiescunque pec-
catum admittis, toties verâ in-
juriâ afficias DEUM, eumque contem-
nas. Neque id ita dictum existimes,
quemadmodum Methaphoris uti Ora-
tores solent, ne utiquam verò, sed pura
puta est veritas, nihil per auxesin adul-
terata. Hoc sensu loquuntur omnes
Sancti Patres, Theologi omnes, ipsæ
que adeo sacræ paginæ, quæ id ipsum
inculcant creberrimè : peccatorem
furiis in DEUM agitari, insurgere adver-
sus ipsum, eumque habere contemp-
tui ac conculcare. Sed dices fortè, at-
qui ego non pecco, ut DEUM spernam ;
id solùm quæro, ut mihi, meæque lu-
bentia satisfaciam. Itane verò ? fac
esse ita ut dicis : at scire te oportet, dus-
plicis generis esse contemptum, ex-
pres

Consideratio I. 7

preſſum unum & directum, indire-
ctum alterum, quem Scholæ interpre-
tativum vocant. Ex te ipſo jam quæro,
nunquid contemni te cenſes à filio,
ſervo, conjuge, ſi, inſuper habitis
mandatis tuis, obedientiam tibi non
preſtent? Principem putas coli ab eo,
qui latas ab ipſo leges protervè infrin-
git? Nunquid amico illudis, cui ter-
gum vertis? & quis audebit delin-
quere in conſpectu judicis, quem ve-
retur? Pro certiffimo itaque hoc ha-
be: peccato quolibet contumeliam
irrogari Deo, teſte Apoſtolo ad Roma-
nos 2. *Per pravariationem legis, Deum
inhonoras.* Tametſi nolle te dicas in-
tentione, contrarium tamen oſtendis
facto, dum legi ipſius non obedis, ju-
ſtitiam non times, bonitatem non a-
mas, & omnipotentiam non æſtimas;
hec curas immenſitatem illius, qui vi-
det peccata noſtra, ea odit, prohibet,
& tantam inde concipit indignatio-
nem, ut, ſi mori poſſet Deus, cujus vita
eſt æternitas, mors ipſius futura eſſet
peccatum mortiferum (A) Vide igitur,

an sit ratio dicendi tam intrepidè ;
non pecco, ut Deum offendam, sed ut
mihî satisfaciam.

PUNCTUM II.

Quis sit offensus?

3. *Nonne Dominus ipse, cui peccavimus.*
2. *Isaia 42. 24.*

II. **C**ONsidera, Quis sit ille, quem
contemnis. Finge intellectui
tuo pulchritudinem tam excellentem,
quæ solo sui aspectu omnium rapiat
corda mortalium, ita ut vel semel eam
uno duntaxat momento intueri, sit
longè estimabilius, quàm per multa
annorum secula frui omnibus hujus
mundi voluptatibus. Finge Majesta-
tem tam sublimem, cujus in obsequi-
um omnia perpeti tormenta plus va-
leat, quàm toti mundo dominari. Fin-
ge bonitatem tam immensam; quam
unâ solùm cogitatione offendere pe-
jus sit, quàm re ipsâ in nihilum redi-
gere cœlos, naturam destruere univer-
sam. Atque his omnibus cogitatione
atque animo conceptis, quotam essen-
tiæ divinæ partem censes te attingisse?
est